



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentiis Dei

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1701**

**VD18 90029526**

Consult. XVII. De Prædestinatione, quæ præcipua pars est providentiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45487**

nes tuas ulterius tibi dominari permittite, animosè refræna & edoma illas, uti auxilio gratiæ Dei munitus facere potes, quo te spoliari non permittet ipfius providentia; & liber eris ad faciendum, quidquid tibi placuerit.

Vocum  
animæ non  
habendi  
amplius  
libertatem  
ad offen-  
dendum  
Deum

Eheu! Conqueri non debemus, quod providentia Dei nobis tollat libertatem nostram; Sed potius dolendum nobis foret, quod nimium ejusdem nobis relinquat dominium. Quid facio, mi Deus, libertate hæc, quam dedisti mihi, nisi quod pessimè abutar illâ. Ah! resume illam mi Deus, & ita integram ipsam posside, ut nunquam amplius faciam deinceps, quod voluero, sed semper, quod tibi placuerit. O si nunquam te offendendi habuissem libertatem? O si nunquam libertatem mihi relinqueres, separandi me à te vel mo-

mento unico? Itane, Divine mi Pater, non sum filius tuus? Itane amabilis mi Conservator, non semper me portas in sinu tuo? Nonne paternæ tuæ providentiæ præcipua sum cura? An minus me amas vermiculis terræ? Non permittis ipsis libertatem displicendi tibi, ut quid ergò ipsam relinquis mihi? aufer à me, Domine, aufer à me libertatem hanc; resume illam, quia bonum est, quod spectat ad te, quoque ego tam malè abusus sum; volo exspoliare me illâ in perpetuum, totam immergens ipsam unicæ & soli gubernationi adorandæ tuæ providentiæ. Fac ex me, quidquid tibi placuerit, dirige me, quod tibi placuerit, Cæcum in morem ubique sequar te, & aliam deinceps nolo libertatem, nisi illam, quâ liceat mihi dependere in omnibus & per omnia à directione tuâ.

## CONSULTATIO XVII.

*De Prædestinatione, quæ est præcipua pars providentiæ.*

**E**Cce tibi Secretum maximum: hæc ingens est curiositas, quæ nullo non tempore torquebat, nec torpere permittit ingenia. Nosse quid Deus determinaverit nobiscum in æternis

providentiæ suæ decretis; an nomina nostra scripta sint in libro vitæ; an reliquerit nos in funestâ exclusionem ab hæc felicitate æternâ, quam non præparat nisi electis. Quid faceremus, ut

Kkk certo

certò nôstemus, an finis è numero prædestinatorum aut reproborum? Sed hoc ingens secretum Dei est, quod reservavit sibi soli.

Quid sit  
prædesti-  
natio & re-  
probatio.

Omnia, quæ cognoscere nos finit circa prædestinationem, Ecce tibi. Novimus esse decretum quoddam æternum divinæ voluntatis, vi cuius ipsa determinat ante omnia sæcula eligere aliquos, ut sint è numero electorum suorum, relinquens alios hoc numero exclusos. Illi, quos elegit, ut sint è numero prædestinatorum, sunt ipsius dilecti, quibus omnia suppeditat media necessaria ad assequendum finem beatum, pro quo ipsos elegit; & illi, qui non sunt ex hoc numero, ipsimet contra voluntatem illius, damnationis suæ æternæ arripiunt media.

Indiffe-  
rens est, an  
prædesti-  
natio sup-  
ponat vel  
non pecca-  
tum Adæ,

Parvi refert, dicere, prædestinationem hanc supponere vel non supponere totam massam hominum peccato protoparentis nostri infectam. Nam quemadmodum ex universâ naturâ Angelorum, quamvis omnes in statu gratiæ creati fuerint, una solummodò pars fuit prædestinata, quia benè coöperando gratiæ, fideliter & perseveranter adhæserunt Deo, dum alij fuere reprobat, quia gratiæ non coöperantes, rebellionem moverunt adversus Deum: Sic quando omnes homines non nascerentur

cum peccato, sed cum gratiâ, una pars posset esse prædestinata, eò quod fideliter gratiam collatam impendendo perseveraret usque in finem, ut salvaretur; & altera posset etiam esse reprobata, eò quod excidens gratiâ moreretur in peccato. Sed in præsentis rerum statu, ubi universa natura humana inquinata est peccato primi parentis, omnes ipsius filij nascuntur filij iræ, ita ut nec unicus adscribi mereretur libro vitæ, absque inæstimabili beneficio prædestinationis. Hæc est, quæ exinde certum eligit numerum, quem separat à massâ illâ corruptâ, ut vocet ipsos ad cognitionem DEI, ut ipsos justificet gratiâ suâ & tandem ad salutem perducatur vigilantiam paternæ suæ providentiæ. Sanctum Evangelium nobis affirmat, horum numerum valde esse parvum. *Pauci Electi*, respectu longè majoris numeri eorum, qui inde exclusi sunt, & in æternum privati manebunt ingenti hæc felicitate.

Ne interrogas, quare DEUS elegerit potius hos, quam illos, eò quod omnes eidem miseriæ invenerit obnoxios. O DEUS! Cavetis hanc velle scrutari abyssum, nisi hîc velis perire: Adoranda sunt decreta divinæ ipsius voluntatis, & cum magno dicendum Apostolo: *O Altitudo!* quis es, qui audias interrogare DEUM, quare hoc fecerit?

Nempe

An præde-  
stinatio  
fiat ex me-  
ritis bono-  
rum ope-  
rum

Nempe an eorum, quos elegit, consideraverit bona opera, prævidensque totam ipsorum vitam usque in finem his fore confertâ, ex hac ratione determinaverit præparare illis coronas gloriæ in æternitate; vel an absque respectu ad illorum bona opera, elegerit ipsos, quos voluit, ex purâ suâ misericordiâ, destinando illas ad vitam æternam, nolens tamen hujus possessionem, dare, nisi eam prius promeruerint per bona sua opera. Hæc est quæstio, Circa quam Theologi non conveniunt. Aliqui, inter quos Sanctus Thomas magnum aliorum, qui Sanctum Augustinum pro se habere contendunt, numerum post se trahens, arbitrantur, quod DEUS aliud motivum non habeat, nisi puram suam misericordiâ, in electione prædestinatorum; quodque licet includat reipsâ prævisionem bonorum operum in electis, hæc tamen non respiciat velut motiva vel causas, sed velut effectus & consequentia ad prædestinationem, vel velut media ad obtinendas coronas, quas prædestinatio illis præparat; & hi indubitata huic regulæ innixi ita argumentantur: In naturali rerum ordine, omne agens rationale vult finem, antequam velit media necessaria ad obtinendum finem: Sed beatitudo est finis ultimus electorum, & bona opera sunt media ad hunc

finem obtinendum: ergo DEUS vult illis beatitudinem, antequam respiciat illorum bona opera.

Alij, uti Sanctus Bonaventura, quem ingens Theologorum Celeberrimorum idem sententium sequitur numerus, firmiter tenent, quod, cum prædestinatio sit actus justitiæ non minus, quam actus misericordiæ, DEUS respexerit merita illorum, quos prædestinavit, sicut respexit demerita illorum, quos reprobavit: ita ut non elegerit ad gloriam illos, quos prævidit se hâc non reddituros per bona opera sua dignos; sicut etiam non reprobavit, nisi eos, quos prævidit se dignos æternâ damnatione reddituros ob magna sua peccata: innixi alteri huic regulæ, quæ non minus præcedente certa est; quod præmium vel pœna necessario supponat meritum vel demeritum, siquidem nullus unquam justus Judex decernit præmia, nisi his, qui illa promeruerunt, nec pœnam nisi ijs, qui per aliquod Crimen se illâ reddiderunt dignos. Cum ergo gloria sit præmium & recompensatio prædestinatorum, & æterna damnatio pœna & supplicium reproborum; impossibile est, quod, cum DEUS sit Judex infinito modo justus, prædestinaverit hos ad gloriam, & illos reprobraverit ad infernum,

Kkk 2 num,

1. p. q. 25.  
65.

num nisi intuitu operum ipsorum vel bonorum vel malorum. Fateor, asserere difficile est, quænam è duabus sententijs propius ad veritatem accedat; Securè tamèn amplecti licet, quæcunq; magis placuerit; Cum certum sit, utramq; esse Catholicam, & utramq; convenire in puncto, ad quod Credendû nos fides obligat; nempe, quod impossibile sit Christiano, postquam attigit usum rationis, absque bonis operibus salvari. Sed aliqui dicunt, bona opera esse motiva prædestinationis, alij verè volunt esse prædestinationis remedia. Verum quid interest quod dicatur, prædestinare DEUM electos ob bona sua opera, vel prædestinare illos ex bonis suis operibus, ut sint ex numero Electorum?

Duæ sententiæ conciliari possunt.

Adhæc nonne conciliari inter se possunt, & dici ambos suas habere rationes: Si asseramus, beatitudinem, ad quam omnes electi sunt prædestinati, tribus modis considerari posse, vel tanquam ultimum ipsorum finem, vel tanquam ipsorum recompensationem, vel tanquam ipsorum hære-

ditatem? Si aspiciamus illam, velut ipsorum ultimum finem, certum est, Deum primitus illis voluisse hunc finem beatum; & postea determinasse ipsis bona opera, velut media, quibus ad ipsum pertingant. Si aspiciamus ipsam, velut ipsorum recompensationem, certum est, Deum primò respexisse ipsorum merita, & postea decrevisse illis gloriosam hanc recompensationem. Si denique ipsa aspiciatur, velut ipsorum hæreditas, certum est, DEUM nullum habuisse respectum ad proprium ipsorum meritum, sed duntaxat ad eum, quo perfruuntur, honorem ac favorem, ut existant filij DEI: & sub hoc titulo omnibus infantibus post Baptismum, per quem adoptantur in filios Dei, morientibus, beatitudinem elargitur.

Ecce paucis tibi verbis doctrinam Catholicam circa prædestinationem; quam videbis copiosam subministrare materiam pro Consultatione maximi ponderis, ad consolationem certæ cujusdam animæ.



## ARGUMENTUM.

*Quod incertitudo, an simus è numero prædestinatorum, vel reprobatorum, neminem debeat*

## ARTICULUS. I.

Jucundum erat spectaculum, videre pugnas antiquorum illorum Anachoretarum, concedentium in desertum ad provocandos dæmones, & singulari certamine pugnandum cum illis, velut in amphitheatro, ubi, cum absconditi essent oculis hominum, alios non volebant spectatores, nisi oculos DEI & Angelorum: militaria sæpius tractabant consilia, ubi antiquiores velut magis experti instruebant juniores, detegendo illis dolos inimicorum salutis nostræ.

Refertur in vitis Patrum, duos simul habitantes Eremitas, in magnâ vixisse concordia & animorum consensu, quorum unus admodum senex, alter valde juvenis fuerat. Hic sustinuit à principio vehementes assultus à diabolo, circa argumentum prædestinationis; dicebat namque illi: quid agis hic? Ecce enecare te vis austeritatibus, & tuam consumere juventutem tantis laboribus, quæ nullibi tibi erunt emolumento? An ignoras tuam jam determi-

*inquietare, cum certum, nos fore salvandos, si velimus.*

natam esse sortem in æternis decretis DEI? Vel es ex numero prædestinatorum, vel es ex numero reprobatorum? quidquid sit è duobus, jam determinatum est de te, quidquid egeris, infallibiliter eveniet; Et quod decreta DEI nulli subiaceant mutationi. Si es ex numero reprobatorum, quando solus cunctis sanctorum austeritatibus te afflixeris, reprobatus semper manebis, quia decreta DEI sunt invariabilia. Si es ex numero prædestinatorum, quando commisisses omnia maximorum peccatorum crimina, nunquam non manebis prædestinatus, quia æterna decreta DEI nunquam mutantur, bene ergo vides, quidquid molitus fueris, nulli tibi fore emolumento.

Hic discursus, qui plausu excipendus ipsi videbatur, tantâ affecit ipsum inquietudine, ut totus desolatus ac pusillanimis bonum accederet senem: Mi Pater, inquiens, quid facimus hic? An putamus nos immutatos decreta DEI? Si sumus prædestinati, cur tantis nos exercemus laboribus ad acquiren-

K k k 3

das

Tentatio  
ordinaria  
diaboli  
circa Præ-  
destinatio-  
nem.

Duo Ere-  
mitæ for-  
mant hanc  
Consulta-  
tionem.

das coronas, quæ certæ sunt nobis, cùm DEO placuerit formare decretum æternum donandi nobis illas; quod decretum, quidquid contigerit, nunquam mutabitur? Et si sumus ex numero reprobatorum, ecurr anticipemus infernum nostrum per vitam tam rigidam, & austeritates has, quibus in nosmet ipsos sævimus, eo quod omnibus nostris rigoribus immutaturi non simus decreta DEI, quibus nos perdere se resoluit. Bonus hic pater illicò videns; unde hæc illi periculosa exorta persuasio, amplexans & amans ipsum. Ludibrio habe, inquiebat ipsi, ludibrio habe fili mi hanc illius fraudem, qui pater est mendaciorum, & ut ipsum confundas, propriisque armis ipsum jugules, interroga ipsum.

Repellendus diabolus propriis suis armis.

Quid ergo tu ipsemet hic facis, o monstrum infernale? quare venis & inutiliter laboras, ut me seducas, tecumque in tutum præcipitem agas barathrum? An ignoras decreta DEI esse immutabilia? Si sum prædestinatus, frustra agis, incassum contendis & tentas, te etiam invito, te reluctante salvabor; tuque tuo frustraris labore, dum in interitum me trahere conaris contra decreta DEI? Si sum reprobatus, non habes quod labores, non est, quod agas; nam abs eo, quod quidquam ex par-

te tuâ contribuas, decretum DEI adimplebitur. Quid habes, quod ad hoc respondeas? Cur igitur ita universam perambulabas terram, ut homines tentes, cum omnibus tuis dolis ac technis, quas tibi tua suggere potest malitia, immutaturus non sis decreta DEI? Apage ergo te in ignem infernalem, ubi comburendus expecta effectum æternorum decretorum DEI super filios hominum, & amplius ad tentandum nos ne redeas. Sed postquam ipsum hæc ratione per seipsum confuderis, interrogabis illum.

Quare igitur unigenitus Dei Filius è Cælo descendit in terram, eo fine, ut nos Cæli viam suis doceret exemplis? quid nobis opus est ipsius Evangelio, quid cunctis instructionibus, quibus nos imbuat & docet ambulare viam Cæli, & evitare illam inferni? Quid opus fuerat, ut suos mitteret Apostolos in universum mundum, ad imbuedos idololatrias salvificâ fide; velut tot sæculorum decursu animaret Zelum tot prædicatorum Apostolicorum ad excitandos peccatores ad pœnitentiam? Siquidem hæc omnia vana sunt & frustranea, cùm decreta DEI immutabilia sint, omnesque, qui prædestinati sunt, absque his venturi sint in Cælum, sicut & omnes reprobi, his non ob-

Decreta Dei debent impleri per bona nostra opera.

stantibus detrudendi sint in infernum? quid opus est agere pœnitentiam, exercere bona opera, recipere Sacramenta, & obire omnia Religionis Exercitia, cum decreta DEI, quia invariabilia sunt, semper suum sint habitura effectum, quidquid contigerit? An ergo ex hoc principio rescindenda forent omnia bona è mundo, & omnibus malis aperienda porta, & perditè omnibus vivendum, abs eo, quod aliud agant, nisi quod Executionem expectent decretorum DEI, quæ infallibiliter adimplebuntur, quidquid egerimus: Non pudeat te maledicte averni Spiritus, ejusmodi stabilire velle regulam, unde tam abominandæ deducuntur consequentiæ.

Efficax solatium nobis à Deo datum.  
Ezech. 33.  
Verùm si insolenter approbaverit has ipsas, qui non nisi malis delectatur maximis, pete ab ipso, ut dicat tibi: quare ergo dixit nobis DEUS in Prophetâ Ezechiele: *Si dixerò justo, quod vita vivat* (vitâ æternâ, quod idem est ac dicere; tu es prædestinatus) *Et confisus in justitiâ suâ fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate, quam operatus est, in ipsâ morietur.* Et exin in eodem loco adjungit hæc formalia: *Si autem dixerò impio, morte morieris* (morte æternâ, quod idem est ac dicere;

tu es reprobatus) *Et egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque judicium & justitiam, vita vivet & non morietur.* Ah! quomodò hoc dicis Domine, cum æterna tua decreta omnino nullam admittant variationem, omniaque tua verba sint ipsissima veritas? Id circò assero ipsemet tibi, dicit alibi: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum, adversus eam: Agam & ego pœnitentiam super malo, quod locutus sum, ut facerem ei.* Nonne expressè dixerat Ninivitis; quod ipsorum Civitas intra quadraginta dies sit subvertenda? Et nihilominus, quia pœnitentiam egit, conservata fuit. Nonne dixit Regi Ezechiz, quod intra paucos dies sit moriturus? Et nihilominus, quia ex contrito lachrymatus est corde, vixit adhuc quindecim annis. Dicamus, quidquid voluerimus de immutabilitate decretorum Dei, unanimiter sentimus, infinito modo vera omnia ipsius esse verba. Sed oraculum Sancti Ambrosii est quoque verissimum: *Novit DEUS mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.*

Lib. 2. in Luc.  
Deus novit mutare sententiam, si mutem meum animum.

Quidquid ergo sit de æternis DEI decretis, quæ adoro, abs eo quod capiam; quidquid mihi dici possit de reprobatione vel prædestinatione meâ; quan-



do etiam Angelus à Coelo loqueretur mihi, & DEUS ipse proprio ore mihi diceret: Tu vives in æternum quia iustus es; certissimus tamen semper sum, quod, si lapsus fuero in peccatum, & in illo usque in finem persevera-vero, æternam sim morte periturus: DEUS benè noverit mutare sententiam, si vitæ meæ mutavero rationem. Et quando expressè mihi diceret: Tu morieris in æternum, quia peccator es; semper quoque certissimus sum; quod, si egero poenitentiam, & persevera-vero in abominatione peccatorum meorum usque in finem, sim salvandus. DEUS benè noverit suam mutare sententiam, si noverim ego emendare vitam.

Discursus  
solidus pro  
nostra con-  
solatione.

Nec terrorem mihi incutiet, nec confidentiæ meæ stimulum addet fallax iste discursus: si prædestinatus sum, salvus ero, quidquid contigerit; Et si reprobus sum, damnabor, quidquid fecero, quia decreta DEI sunt immutabilia. Nihil ex hoc concludam, quia incognitum prorsus est, quale sit decretum DEI super me. Sed ecce, cui innitar, de quo certissimus quoque sum: si egero poenitentiam, & serva-vero mandata DEI, salvus ero. Hic est articulus fidei, de quo non magis dubitare possim, quam de eo, an sit DEUS. Jam certum est, si voluero, me

acturum poenitentiam & servaturum mandata DEI, eoquod gratia ipsius mihi nunquam deficit nec pro uno, nec pro altero; & hic est alter fidei articulus eiusdem cum primo certitudinis; Ergo conclusio est infallibilis: *Si voluero, salvabor?* quid inquietem me æternis Dei decretis, quæ incognita mihi sunt? non nisi huic innitor & confido veritati, quæ luculenter mihi cognita est & certissima: Si voluero, salvabor; siquidem si voluero, omnia illa possum facere, quæ DEUS mihi mandat, ut faciam ad obtinendam vitam æternam.

Nolo autem per hoc dicere, quod non nisi à sola voluntate meâ dependeat salus; novi, quod præcipuè dependeat ab adorandâ voluntate DEI; Sed certus sum, quod ipse hanc velit, certus sum, quod haud alio nomine me traxerit è nihilo, nisi ut mihi possessionem sui largiatur æternam: Et quandoquidem hunc finem mihi vult voluntate verâ, vult quoque & porrigit mihi omnia media ad hunc finem necessaria; nihil ergo amplius requiritur, nisi cooperatio voluntatis meæ. Et ecce, quare tam confidenter dicam, in meâ esse potestate, meque certò promittere mihi posse, *si voluero, salvus ero.*

Sed quis dixit tibi, mi Pater, interpellat senem, juvenis eremita

mita raptus in admirationem discursu senis sibi valdè confortatorio; quis te asscurat, velle ipsum salutem tuam voluntate verâ. An legisti in arcano cordis ejus, certò te eousque amari ab eo, ut velit tibi vitam æternam? Ipsemet est, qui dixit mihi, respondet senex, & non contentus asscurasse me de hoc, bis vel ter in divino suo verbo, id ipsum mihi repetit & centies confirmat. Modò dicit, quod nolit quemquam perire, sed ut omnes veniant ad agnitionem veritatis; modò dicit, quod non sit voluntas sua, ut moriatur peccator, sed ut convertatur & vivat; Modò Apostolus ipse dicit nobis, quod mortuus sit pro omnibus; & velit omnes salvos esse; modò dicit, quod copiosam afferat redemptionem; Et ubi abundavit delictum, superabundet & gratia: modò suavissimè nos invitat, & dicit nobis: venite ad me omnes, qui onerati estis, & ego reficiam vos; venite omnes nemine excepto.

Certum est  
Deum vel-  
le nostram  
salutem.

Quare ergò dedit legem suam omnibus hominibus? quare consignavit manibus ipsorum hanc legem, quæ via ad Cælum est? *Hos fac & vives.* Quare præcipit illis, ut hanc exactè servant, id est, ambulent per viam Cœli; nisi quia vult, ut omnes illuc perveniant? Et si per im-

possibile vellet, ut aliqui ambularent viam inferni, illic ambulando perficerent voluntatem DEI, & hanc perficiendo forent sancti; sicque manentes in inferno salvi essent ac beati. Et quare tandem omnes edocuit homines, ut se patrem suum nominarent, suumque à se peterent regnum: *Pater noster, adveniat regnum tuum:* nisi quia desiderat illud nobis donare, sicut bonus pater donare vult Filiis hæreditatem suam?

Quæris ex me, quis mihi dixerit, DEUM velle salutem meam; Ipsemet, qui dicit DEO Patri suo, quod sit DEUS; id est, verbum ipsius æternum, quod eo sine incarnatum est, ut diceret mihi in terrâ, quod desideret me dirigere & deducere in Cælum; sed non contentus dixisse hoc mihi verbo, luculenter id declaravit omnibus actionibus vitæ suæ, cum unicam operatus fuerit, nisi ad promovendam salutem meam. Nimis ne adhuc parum hoc est? dixit id mihi per omnes labores suos, per omnes cruciatus suos, per omnes lachrymas, quas profudit ex oculis, per omnia suspiria, quæ emisit è corde, per omnes guttas sanguinis sui, quas effudit in passione: dixit id mihi per omnia vulnera sua, quæ velut tot ora aperuit in toto corpore

Deus misit  
nobis ver-  
bum suum  
in terram,  
ut dicat  
nobis, se  
nostram  
salutem  
velle.

L H

pore suo. Video apertum ipsius cor, dicens mihi, quod amet me, quodque ardentius desideret salutem meam, quam conservationem propriæ vitæ suæ. Audio morientem vocem ipsius, quæ fermè exspirando mihi dicit, quod sitiens moriatur; Et ego probè intelligo, quod declarare mihi velit, ardentem salutis meæ sitim esse, ex quâ moriatur. Ah! si tam infelix sim, ut perdere me velim invito ipso, contristo cor ipsius, ipsum crucio, ipsum torqueo, ipsum ardente siti, quam nolo extinguere, mori facio.

Post hæc omnia, o Amantissime DEUS! An dubitare adhuc possem de verâ voluntate, quâ meam desideras salutem? cum velut articulum fidei credere tenear, te fecisse & sustinuisse hæc omnia pro me; imò pro me miserabili, imò pro me in particulari, an dubio adhuc restaret locus, te velle salutem meam? Ah! cujus unquam rei majus demonstravit desiderium? Et quid ultra, DEUS licet omnipotens, facere posset ad declarandum mihi, desiderium salutis meæ esse maximum, quod habeat desiderium, quodque unquam affecerit cor DEI, quam mihi dicere. Tam cordi illam habeo, ut illi me totum velim impendere, nec ulli parcere rei, non meo tempori, non meo labori,

non meis cruciatibus, non meo sanguini, non propriæ meæ vitæ, & in cruciatibus moriar, ut, quod anhele, obtineam. Sic loqui, est dubio procul maximi nota desiderii; sed idiplum fecisse, loculentissimè desiderium arguit ardentissimum. Cum ergò certus sim de voluntate ipsius, quid superest, nisi ut de meâ me quoque certificem? Sic cum certitudine mihi dicere licebit; *Quod si voluero, saluus ero.* Tu id vis, mi DEUS, & ego quoque id volo; imò id volo instanter, id desidero ardentissimè. Ah! quando hoc erit?

Post eximium ac devotum hunc affectum, quo accendebatur cor boni senis, qui que lachrymarum torrentes ex ipsius eliciebat oculis, dicit discipulo suo: vade mi fili, vive in pace; relinque DEO cognitionem decretorum suorum, quorum nemo, nisi ipse, habere potest notitiam; sufficiat tibi, certum te esse, quod velit DEUS salutem tuam, quodque, si id etiam volueris verâ voluntate, infallibiliter sis salvandus; animosè per siste in servitio DEI, & hæc te certitudine consolare, posthæc discesserunt ab invicem, & ille, qui venerat totus afflictus, reversus est totus gaudio ac solatio plenus.

## ARGUMENTUM.

1. Infallibilem quasi certitudinem habere possumus nostræ prædestinationis.

2. Bonum est, se confirmare & stabilire, quantum fieri poterit, in hæc certitudine.

## ARTICULUS II.

Quod faceret bona anima de prædestinatione certa, hoc faciat, & certa erit.

**A**Liquot post dies denuò juvenis Eremita invisit senem suum, non amplius inquietus, nec desolatus, sicut olim, sed valde sollicitus quasi homo vehementi inflammatus desiderio novi & magni quid addiscendi ab illo. *Mi Pater*, inquit, maximo affligor & crucior desiderio sciendi, an sim è numero electorum; quæso te, id dicas mihi: sum ne è numero prædestinatorum? Ah! mi DEUS, si certus essem, quod nomen meum scriptum sit in libro vitæ! Ah! bone DEUS, si id scirem! Eja! quid faceres, fili mi, respondet senex, quid faceres, si id scires? Ah! mi Pater? viderem mihi vivere in terris, quasi jam essem in Cœlis: Oblivisci vellem omnium rerum mundi hujus inferioris, & non nisi meæ beatitudine æternitatis meum implerem animum; Aliud nil agere vellem in vitâ meâ, nisi laudare DEUM, nisi grates illi agere, ipsum amare, ipsum desiderare, ipse solus tota mea foret occupatio; nihil amplius cu-

rarem; nullam amplius invenirem difficultatem in ipsius servitio; nihil amplius me vel mœrore, vel sollicitudine, vel ullâ afficeret pusillanimitate. Tandem volaturum me crederem in difficillimis quibusvis virtutum exercitiis, tanto experirer dilatatum cor meum gaudio.

Faceres ne omnia hæc, dilecte fili mi, si certus esses, fore te è numero prædestinatorum? dubio procul illa facerem, & adhuc plura: nihil enim viderem, quo desponderet animus. Ah benè! dicit ipsi desuper bonus pater: *Fac quod faceres, si securus esses, & omninò securus eris*: impossibile enim est, illum, qui viveret in terrâ, quasi jam esset in Cœlo, qui nulli rei mundanæ amplius adhæreret, qui aliud non ageret, nisi laudare DEUM, ipsi grates rependere, ipsum amare, qui magnâ contentione sectaretur virtutes, qui volaret præ gaudio in viâ DEI; impossibile est inquam, illum non esse è numero prædestinatorum: affecura per hoc prædestinationem tuam, id namque potes.

L II 2

Et

Opórtet  
certificare  
prædesti-  
nationem  
suam per  
bona ope-  
ra.

Et hoc idipsum est, quod Apostolorum Princeps tibi præcipit: Satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis. Contendite, volebat dicere, intendite & attendite, ut prædestinationem vestram assuretis per bona opera; non potestis majorem hanc circa illam habere certitudinem & securitatem: Sive enim dicatur, illa esse motiva, ob quæ DEUS vos elegerit; sive dicatur, ipsa esse media, per quæ vos DEUS dirigere & ducere velit ad salutem; semper tamen certum est, bona opera inseparabilia esse à prædestinatione. Noli esse e numero ignavorum ac inertium illorum, qui dicunt: modò id agam, ut salver, modò Cælos ingrediar, quando id foret nonnisi ad januam, sat & abundè mihi esset: Invenio hos, qui ejusmodi sunt, parum securos: quando enim adjicitur animus nonnisi ad ea, quæ præcisè sunt necessaria, potest facilè contingere, ut minus præstetur, quàm fuerit in mente designatum, sicq; omninò nunquam præfixus obtineatur scopus. Verùm quando quis assureat & certam facit prædestinationem suam per bona opera, quantò plura horum faciet, tantò certior & securior de illà erit. Ut ergò tuam adaugeas certitudinem, augere

quoque oportet bonorum operum numerum; Et si tam ingenti, uti affirmas, urgeris desiderio, summam de prædestinatione tuâ habendi certitudinem, indefessum te exhibe in exercitiis virtutum, & tam instanter operare, ut nec unicum vitæ tuæ momentum sit, quod aliquo bono opere non sit referendum; Et tunc maximam prædestinationis tuæ certitudinem habebis, quanta haberi potest ab hominè in hanc vitâ.

Juvenis DEI famulus, qui omnia hæc tam præclara documenta recipiebat ex ore venerandi senis sui, velut totidem Cæli oracula, sentiebat augeri in corde suo majus adhuc desiderium, quàm unquam certa addiscendi nova circa æternitatem suam. Ah! inquebat: postquam fecero omnia, quæ potero, Evangelium me agnoscere & fateri cogit, quod servus sim inutilis; postquam sustinero plurima, Sanctus Paulus asseverat mihi, quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ præparatur nobis in Cælis: Consecrabo quidè omnes dies, omnes horas, omnia momenta vitæ meæ exercitiis bonorum operum; portabo quidem omnes tam Corporis quàm animæ adversitates: Sed post omnia hæc, nondum quiescit anima mea, sed absque inter-

intermissione interrogat: Sumne ex numero prædestinatorum? O mi Pater, id charitatis mihi præsta, in hoc duntaxat me puncto consolare, assecura me aliquando, an sim ex prædestinatorum numero.

Cur Deus abscondat nobis arcanum prædestinationis nostræ?

Fili mi, reponit vir Sanctus, DEUS non vult constare nobis profundum hoc providentiæ suæ arcanum, eo quod ad salutem nostram non expediat nobis. An dubitare potes, quod, dum magis amavit nos, quam propriam suam vitam, dum ex infinitâ bonitate suâ revelare nobis voluit Altissima Trinitatis, & divinarum perfectionum suarum mysteria, non etiam revelasset illud prædestinationis nostræ, nisi scivisset, multo magis fore nobis proficuum, si conspicuum id nobis non sit. Quâ ratione sufferre posses vitam temporalem, si certò nôsses, hanc solam esse, quæ tibi subtrahat, teque gustare non sinat dulciores vitæ æternæ? Quâ ratione non sentires elationem animi, quæ impelleret te ad contemptum aliorum, & magnum tui ipsius existimationem, si certus fores, tantas te expectare excellentias ac dignitates? Quâ ratione cohibere posses certam quandam fiduciam, bonæ sortis tuæ jam in tuto positæ memoriam tibi continuò refricantem, quæ fortassis te traheret

ad neglectum bonorum operum ac virtutum, quæ non levem trahunt post se laborem? quâ ratione vivere posses cum reprobis? An amare posses illos? An tolerare posses ipsorum præsentiam? Et illi, qui non haberent certitudinem hanc sicut electi, nonne in continuâ viverent rabie & nunquam intermissâ desperatione, toto tempore vitæ suæ? quot alia ex cognitione hâc sequerentur incommoda?

Sed consulto DEUS subducit nobis certam prædestinationis nostræ cognitionem ex ingenti misericordiâ suâ, ut semper conservet nos in timore & humilitate, ut nemo aliquid præsumat de seipso, quid quid tandem fecerit, cum nesciat, an amore dignus sit vel odio, an perseveraturus sit usque in finem in bono, aut lapsurus in malum? ut nemo mente concipiat contemptum alterius, quantumvis pessimi, cum ignoret, an convertendus non sit & evasurus in magnum sanctum, adeoque elevandus in solium gloriæ, dum interim fortassis tu es pervertendus, & in omnem damnandus æternitatem, ut nunquam non vigilemus, nobisque ipsis intendamus, velut homines continuo expositi periculo, semper indefessi in exercitio virtutum, velut illi, quibus occupandum

Utile est nobis nescire, an prædestinati simus.

fit regnum, non ignari illud cœlorum nonnisi vi factâ occupari, & nonnisi illos, qui sibi vim faciunt, id rapere ac obtinere: Denique unico verbo, ut vivamus semper hic in terris inter spem & metum, quatenus is nos cohibeat à malo, & illa nos impellat ad bonum. Nonne ergò vides, magnam esse bonitatem DEI, quod absconditum nobis servare voluerit arcanum prædestinationis nostræ?

Nihilominus admirare ipsius quoque indulgentiam, quâ se nostræ accommodat infirmitati, cum electis exhibeat certos quosdam æternæ ipsorum beatitudinis prægustus, quibus plurimum assurantur, & mirum in modum roborantur. Quam majorem tibi ipsi dare potuisses certitudinem prædestinationis tuæ, quam illam, quam recipis à DEO? quando vocasset te in consilium, dum adhuc eras in æternis ipsius idæis, unico momento ante creationem tuam, totumque negotium tuis consignasset manibus, ad disponendum & dirigendum illud juxta omnia vota tua; interrogatus, quis esse velis? absque dubio dixisses: volo esse prædestinatus. Sed quid fecisses ad recensendum te in seriem electorum? necessario tria tibi fuissent facienda.

Inprimis extrahere te debuisses à sinu nihili, & tibi dare non solum esse, sed etiam esse idoneum ad possidendum DEUM, id est, animam spiritalem & æternam, formatam ad imaginem DEI. Ecce tibi primum fundamentum, sine quo nunquam recipere potuisses ingens beneficium prædestinationis. Sed hoc non sufficiebat.

Debuisses ergò secundo attolere te ad esse quoddam supernaturale, donando tibi fidem, spem, charitatem, veram Religionem cum omnibus virtutibus ipsam comitantibus. Ecce tibi secundum fundamentum, sine quo nunquam aliquis fuisset è numero prædestinatorum. Sed hoc nondum sufficit: Siquidem non omnes, qui insignes has acceperunt prærogativas, ex illorum sunt numero.

Fuisset quoque necessarium, separare te ab innumerabili multitudine eorum, qui ambulat viam latam & facilem, quæ ducit ad perditionem atque ex speciali gratiâ aggredi viam arctam, quæ ducit ad vitam. Paucos invenies, qui huic se viæ dent, cum difficile ac laboriosum sit incedere per illam. Sed magno ipsis solatio est, quod sciant se per viam Cœli

Deus omnia nobis dat signa, quæ desiderare possumus circa prædestinationem nostram,

Quatuor signa valde secunda prædestinationis,

Cœli incédere, sicque quasi certi sint, se ex parvo numero prædestinatorum esse.

Nihilominus si dare tibi ipsi voluisses summam & maximam certitudinem, quæ haberi potest in mundo de prædestinatione æternâ, oportuisset te induere Spiritum Christi JESU, qui caput est & exemplar omnium prædestinatorum. Adorandum hic spiritus detestatur omne id, quod mundus adorat, vanos honores, bona caduca ac voluptates; & summè amat omne illud, quod mundus maximè abhorret, contemptum, crucem, paupertatem. Ecce tibi omne illud, quod ipse facere potuisses, ad exhibendas tibi certissimas prædestinationis tuæ notas, quando salutem in propriis tuis manibus habuisses constitutam, & videre te credidisses cum gaudîo, nomen tuum scriptum esse in libro vitæ.

Quomodò ergò dubitare potes, quin scriptum ibi sit, cum videas, quod DEUS tua præoccupans desideria, ex nimîâ bonitate suâ ergâ te, enumerata quatuor requisita, in favorem tuum, ipso complèrit & effecerit opere? Inprimis creavit te ad imaginem suam, donans tibi animam immortalem, quæ capax sit æternaliter possidere DEUM. Secundò donavit tibi fidem suam, divino suo te lu-

mine dirigens, ad profitendam solam veram Religionem, quæ est in orbe terrarum. Tertio separavit te à mundo, & vocavit te ad servitatem suam, inspirans tibi, ut relinqueres omnia, ad ipsum imitandum. Et tandem accendit te desiderio vivendi juxta divinum spiritum suum, & moriendi prorsus spiritui mundi.

Ad quid tot notas adeò palpabiles & manifestas specialis amoris, quo nonnisi paucissimos prosequitur in mundo? nisi ad assecurandû de te evidentissimâ certitudine, te esse è parvo numero prædestinatorû? An cogitare auderis, ipsum eòsque infidelem esse, ut tibi ficta pro factis, apparentiam pro veritate consiliis suis omninò contrariam exhibeat & ostendat? An possibile foret, ipsum hâc ratione velle ludos facere animæ, tot luculentas demonstrando ipsi notas, quod velit ipsam salvare, abs eo, quod reverà id intendat?

Non, chare mi Fili, concludit senex, amplexans Juvenem discipulum suum, ne amplius deinceps diffidas, sed pro certo habe, è numero te esse prædestinatorum. Indubitatum tibi sit, DEUM infinito modo plus amare te, quàm ames tu ipsum, & plus, quàm tu temetipsum ames; & consequenter ipsum salutem tuam velle voluntate magis

Consolatio animæ habentis omnia hæc signa.



Luc. 16.

magis seriâ & efficaci abs comparatione, quàm tumet ipse velis illam. Hinc pari ratione tibi, sicut Apostolis, quorum contendis imitari vitam, illa asserit verba fiduciâ & consolatione refertâ: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in libro vite.*

Exin Juvenis Eremita totus recessit consolatus, tamque celesti superfusus gaudio, ut omnium rerum terrenarum oblitus, volare se crederet in Cœlum, quin & oblitus semetipsum & propriæ salutis curam, non nisi contemplandis DEI excellentiis intendebat, vivens contentus, utpote tenens non parvam præ-

destinationis suæ securitatem: nulli vacabat magis, quàm ardentem amando infinitam DEI bonitatem, quæ tam pijs ac benignas erga se cogitationes ac consilia ab æterno jam conceperat; & quasi illam jam possideret, aliud non desiderabat, nisi omnibus vitæ momentis, sacrificare ipsi & corpus & animam suam.

Interim dæmon, qui prælio ceciderat contra Juvenem hunc DEI famulum, optimi hujus senis adjutum subsidio, arma sua vertit adversus potentem hunc defensorem, ipsum novo seducere molitus stratagemate, quod intelligetis,

## ARGUMENTUM.

1. *Incertitudo, an simus vel non simus è numero predestinatorum, animare nos debet, ut per bona opera certam nostram Electionem faciamus.*

2. *Esiamsi certò sciremus, nos reprobatos esse, desistere tamen non deberemus servire DEO, & ipsum ex toto corde amare.*

### ARTICULUS III.

Dæmon transformatus in Angelum lucis.

**I**neffabili fruebatur solatio Sanctissimi senis animus, videntis discipulum suum tam magnis progredi passibus, ac mente tam generosâ in viâ DEI. Exstimulabat semetipsum exemplo ipsius, ad geminandum fervorem suum, ne tandem præverteretur ab eo, quem hucusque tra-

hebat post se: & ambo in magnâ vivebant pace & cœlestium dulcedinum prægustu; tum veterator ille dæmon, se transfigurans in Angelum lucis, apparuit seni ab oratione recedenti, affirmans se missum à DEO, ut ipsi falsam adimeret opinionem, quam de juvene hoc Eremitâ tunc comitem suum agente conceperat, mediante quâ crederet,

ret, ipsum esse è numero prædestinatorum, quod neutiquam esset; quod si cognosceret cordis ipsius intima, nil ibi nisi hypocrisin videret; quodque, si attendisset, benè advertere debuisset, ipsummet apud se intus æternæ damnationis suæ sensisse prægustum, eoquod toties ipsum urlerit ad assecurandum se de prædestinatione suâ; quodque DEUS fuerit, qui justum hunc ipsi incusserat timorem: ac proinde cum ipsi falsæ hujus persuasionis, quod esset è numero Electorum, auctor fuerit, rem conscientia esse, ut ipsum denuò hoc errore expediat, ipsique veritatem hanc exponat, quam ex jussu DEI accesserat nuntiatum, ut saltem miser hic Juvenis à tot vanis ac inanibus abstinere laboribus, quibus semetipsum conficiebat. Probè novi, addebat pro Epilogo, hoc novo affligendum te nuntio, eoquod ames ipsum; Verùm is Isaac est, quem oportet sacrificare DEO, quia vult eum; adoranda sunt decreta Omnipotentis hujus, ipse creaturarum suarum absolutum gerit dominium, & facere nobiscum potest, quod sibi placuerit: hæc crux est ab ipso tibi missa ad tentandam patientiam tuam, quæ tantum mihi, quantum tibi conciliat amaritudinis; Sed mutare non possumus sententiam DEI. *Verùm DEI decreta rescindi non possunt.*

Tonitru hoc fuit & fulminis ictus, quatiens constantiam boni hujus lenis, maximumque ipsi incutiens terrorem. Ah! Itane, mi DEUS, possibile sit, vitam tam sanctam sine concludendam tam funesto? O quàm judicia tua sunt abyssus multa! quàm formidanda sunt æterna tua, quæ formâti super nos, decreta, ô mi DEUS! quàmq; parùm specie standum est externâ? Itane? Credebam me Angelum habere penes me, & heu! Est quispiam damnatus. Misera inferni victima, quid proderunt tibi omnes, quos subis, vitæ rigores? quid cuncta virtutum exercitia, austeritates cunctæ, quibus tuâ cogitas consumere vitam in hâc Eremo. Ex hoc tempore videre non erat, nisi dolores, nisi lachrymas, nisi profunda suspiria è medullis cordis profecta; & quoties aspiciebat ipsum, qui horum causa erat, sublatis in Cœlum oculis lamentabiliter exclamabat. Mutatio erat tam magna, tamque repentina in optimo hoc patre, ut alter illicò advertens, hujus nôsse perquereret causam.

Quid habes, pater mi? unde oritur, quod ab aliquo tempore te ita mutatum videam? non amplius intueor illam faciei serenitatem, hujusque semper individuum comitem, comitatem suavissimam, nunquam non tibi assuetam. Adverto, quoties-

M m m

cun-

Inquietudo animæ à diabolo deceptæ.

Malitia diaboli detecta confunditur.

cunq̄ue in mē vertis oculos, te  
verti animo, mutari totum, mœ-  
rere ac contristari, dejicere te  
lumina, ac si aliquam in me  
conjiceres indignationem; vel  
attollere illa in axem ac suspi-  
rare, quasi molestus quispiam  
exasperasset te Eventus. An  
fersan infelix ego displicui tibi?  
an in quopiam te offendi? quæ-  
so id innue, & ad nutum satis-  
faciam. Ah! Fili mi, respon-  
dit bonus Pater, ne scire à me  
velis, quod vellem, ut nunquam  
scires, quodq̄ue scies heu citò  
nimis maximo damno tuo: sine  
tacere me, & scito, sine te si  
meam digeram amaritudinem,  
amoris me tibi præstare obsequi-  
um: haud enim illius te possem  
facere participem, quin præ do-  
lore in fata te agerem præci-  
pitem. Hæc verba magis ad-  
huc extimularunt devotam pii  
hujus Juvenis curiositatem; un-  
de provolutus ad pedes ipsius,  
eosq̄ue amplexans ajebat: Ad-  
juro te, mi chare pater, per  
amorem Christi JESU, & per o-  
mnia, quæ hucusq̄ue mihi præ-  
stitisti, amoris officia, ne hanc  
me celes veritatem; dic mihi  
liberè, quid te affligat, non de-  
seram pedes tuos, nisi id sciam.

Resolutio  
stupenda,  
circa dubi-  
um de  
prædesti-  
natione.

Ut quid urges me, fili mi,  
respondit senex? ut quid impel-  
lis me, ut in lethum propellam  
te, ut fata accelerem tibi? Eheu!  
credebam, prædestinatum te fo-

re ad vitam æternam; sed ab  
Angelo heu didici cœlesti, de-  
stinatum te esse ad mortem æ-  
ternam, & incassum laboratu-  
rum te, ut acquiras Cœlum, quò  
nunquam pertinges; Et hoc est,  
quod mori me facit præ mœro-  
re. Ad hæc Juvenis DEI famu-  
lus, totus alacris ab ejus se pe-  
dibus erigens, ipsum facie sere-  
nâ ac hilari cœpit affari: Bene-  
dictus sit DEUS, mi pater, ma-  
jus hic malum non subesse, Me-  
tuebam super modum, me for-  
tassis aliquod patrâsse peccatum,  
quod displiceret DEO, tibiq̄ue  
mœroris præbuisset ansam, sed  
cùm aliud non sit, nisi nova de  
reprobatione meâ, & exclusio-  
ne à Regno cœlesti afferens Mer-  
curius, sive vera, sive falsa sint,  
ex parte meâ non inde affligor,  
nec ulla ex hoc occupat animum  
tristitia.

Siquidem, ut meam tibi men-  
tem aperiam, tibiq̄ue cordis  
mei patefaciam affectus, quos  
DEUS largitus est mihi: post  
parvas quasdam tempestates,  
quibus agitata est anima mea  
circa prædestinationem meam,  
quasq̄ue optimas tuis dissipâti  
ac sedâsti documentis, benè in-  
tellexi, serviendum mihi non  
esse DEO, sicut mercenarius  
suo inservit domino, intuitu  
mercedis; sed sicut filius famu-  
latur & obsequitur patri suo, ex  
reverentiâ & solo amore erga i-  
psum:

Servien-  
dum est  
Deo pro  
Deo ipso.

psum: Sicquæ non ad adipiscendum Cœlum, sed ex purissimo illius amore, statui mecum servire, ac fideliter adhærere ipsi usque ad ultimum vitæ meæ habitum.

Intellexi benè, quod si omnes Creaturæ carentes ratione ipsi tam fideliter serviant, abs eo quod unquam ipsum offendant per omnè sæculorum decursum, sicut & abs ullâ mercedis expectatione, sed duntaxat, quod ipsarum Creator sit: me, qui plus omnibus creaturis ab eo accepi, cum me ad suam creaverit imaginem, mihi que esse dederit æternum, multò magis obligatum esse, ad serviendum ipsi fidelissimè ex solo intuitu infinitæ bonitatis ipsius. Probè novi, quod si DEUS meus, Redemptor meus, totum se primitus devoverè voluit servitio meo, ita ut omne suum sacrificaret esse pro me, omnes suas actiones, omnes suas pœnas, vitam suam & mortem suam, abs eo, quod hic suam, sed meam duntaxat intenderet utilitatem, æquissimum quoque esse, ut & ego mea propter ipsum deseram commoda, ipsique absque ullius retributionis inserviam respectu. Nimirum quantam, jam anticipatò accepi retributionem, & quidquid servitii præstare poterò, etiamsi meam sacrificarem vitam, tantum abest, ut aliquid

præmii promeruisse me credam, ut potius confitear, me nunquam solvendo esse, omnia, quibus ipsi obstringor, debita.

Verùm si hæc omnia non essent, probè intelligo, tantum utilitatis, tantum gloriæ, tantum honoris conferri mihi ab ipso, quod possim ipsi famulari, ipsum amare, & me cordialiter ac confidenter cum ipso unire, etiamsi hoc esset unico duntaxat diæ vitæ meæ; ut, quando pretiosus hic thesaurus comparandus mihi foret millenorum annorum laboribus & austeritatibus rigidissimis, me abundè nimis crederem recompenlatum. Dicam adhuc quid amplius (& DEUS scit, hunc affectum ab eo insculptum esse cordi meo) quod, quando certus essem, gloriâ hanc, quâ liceret mihi amare ipsum perfectè per unicam vitæ horam, totâ constituturam mihi suppliciorum infernalium æternitate, hanc promptissimo animo potius tolerarem, quàm tantâ felicitate carere vellem. Quid inde affligam me, si ve transigenda mihi sit æternitas in Cœlo, si ve in inferno? Abundè sat, mi pater, abundè sat felicitatis est mihi, si servire mihi liceat DEO meo, & ex toto corde amare ipsum tempore vitæ meæ, faciam id fidelissimè, & hæc unica mihi sit & erit voluptas; de cætero faciat mecum,

M m m 2 | quid-

Excellentissimus affectus animæ erga Deum.

quidquid voluerit: nullatenus moveor nec affligor nuntio, quod attulisti mihi de prædestinatione, ita ut ne quidem libeat indagare, verum ne sit an falsum: hujus me quidem olim cura rangebat, sed non nisi meæ effectus erat ignorantia: modo à DEO illuminatus intelligo, summum meum esse bonum servire DEO meo & ipsum amare, & quidquid contigerit, lumen mihi asserre beatitudinem, si dicere possim: Amavi DEUM meum, quantum potui, & nunquam à Sancto ipsius amore volui separari.

Verus amor obli-  
viscitur sui  
ipsius.

Bonus senex his tam eximiis affectibus, quos in corde magistri hujus DEI famuli ardere cernebat, ita rapiebatur, ut illico omni mœrore dissipato, impossibile crederet, talem animam fore è numero reproborum. Verus Character Electorum est Amor DEI, & super omnia amor propria non sectans commoda, qui sui ipsius immemor, non nisi Numinis se devoveret obsequio, solamque divinæ ipsius Majestatis aucupatur gloriam, abs eo quod in minimo quærat & captet suam, siquidem hoc verè est perdere animam suam in DEO, qui que illam sic perdere novit, infallibiliter salvus erit: *qui perdidit animam suam, inveniet eam.* Incepit ergò aspicere ipsum non

Matth. 10.

amplius ut reprobum, sed tanquam verè prædestinatum, & non amplius velut discipulam, sed tanquam Magistrum suum, confitens, se ab ipso didicisse arcanum, ad conservandam animam suam in pace & amoris puritate, qualem hucusque nunquam cognoverat. Et DEUS, qui suos desolatos non relinquit, cum infinitè sit bonus, misso ipsi Angelo, detexit fraudem patris mendacii, asscurans, ambos inscriptos esse in libro vitæ.

O Amantissime DEUS! qui omnes creaturas tuas produxisti ex amore, cum illis esse dare non potueris, nisi faciendo ipsis bene, nec bene ipsis facere, nisi id ipsis voleado, nec ipsis hoc velle, nisi ipsas amando, eo quod amare aliud non sit, quam velle alicui bene. O DEUS Omnipotens! bonitas infinita! quæ non solum bene voluisti homini, dum ipsum creasti, sed infinitum ipsi voluisti bonum, nempe te ipsum, dum creasti ipsum ad imaginem tuam, & pacem ad te possidendum: Unde venit, quod infinitum hoc bonum, quod ipsi in Creatione suâ voluisti, non semper concedatur ipsi? unde venit, quod tam immensus numerus spoliatur isto in æternum? An ideo, quod nolis ipsos possidere boni, cujus possidendi ipsemet contu-  
listi

Deus num-  
quam est  
causa per-  
ditionis a-  
nimarum.

listi ois capacitatem? An contrarius sis tibi ipse, nolendo id, quod voluisti? An tantum habeas amoris, tantumque odii erga hominem, imaginem tuam, ut & dare & auferre ipsi velis bonum infinitum? hoc est impossibile.

Tu non es, Domine, qui ex te ipso privas ipsos bono infinito, cum eo nomine creaveris ipsos, ut illud possiderent: ipsorum hæc est malicia, qui privantur illo, quod tua ipsis concessit bonitas; ipsorum sunt peccata, quæ eripiunt ipsis, quod tua ipsis offerebat gratia. O

Bonitas DEI, quam es amabilis, dum tantum mihi voluisti bonum! O propria mea malicia, quam es execrabilis, dum infinito me exspolias bono! Nil aliud ergo agendum mihi restat, nisi ut meam deseram malitiam, & infinitæ tuæ adhæream bonitati; & prædestinatio mea mihi tuta atque secunda erit. Non multis hæc philosophandum est, relinquamus peccata, deseramus creaturas, abnegemus nosmetipsos, & adhæreamus per amorem DEO; & infallibiliter in omnem æternitatem ipsum possidebimus.

## CONSULTATIO XVIII.

### De Infinita Scientia DEI.

Intellectus  
noster a-  
mat Scien-  
tiam.

SI intellectus noster nostræ est oculus animæ, tum Scientia lux est illuminans ipsum: Nihil tam jucundum est oculis sicut lux cum mediante hæc intueantur omnem mundi pulchritudinem; nihil etiam ita delectabile est intellectui, sicut scientia, eam per hanc, quid universus complectitur mundus, contempletur, suasque in aspiciendo ipsius decore, inveniat delicias. Et inde est, quod tanto in scientiam feratur amore, ut ipsam

inquirendo defatigetur nunquam, non nisi ad illam anhelat, non nisi pro obtentu ipsius laboret, non nisi cum illa sese delectet, eo quod hæc & proponat & propinet ipsi delicias, quibus contentetur, maxime innocuas: Unico verbo, eo quod hæc suam invenire se credit felicitatem.

Nihilominus haud raro contingit, quod hæc vertatur ipsi in tormentum, hicque in illa pro felicitate, suam inveniat

M m m 3

mise-

Scientia  
est sapius  
tortura in-  
tellectus.